SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI nostri BENEDICTI Divina Providencia Papæ XIV. Litteræ, unà cum Decreto Congregationis particularis coram Sanctitate sua habitæ die 5. Decembris 1747. in Causa VENERABILIS SORORRIS MARIÆ A JESU DE AGREDA.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTO FILIO FRATRI RAPHAELI A LUGAGNANO Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observancia nuncupatorum.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Postulatum studiosissimè apud Nos fuit à bonæ memoriæ Trojano Presbytero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Aquaviva nuncupato, tùm nomine Charissimorum in Christo Filiorum nostrorum Hispaniarum Catholici, & utriusque Siciliæ Regum illustrium, quorum negotiis apud Nos, & Apostolicam Sedem agendis præerat, tùm, etiam pro munere Protectoris vestri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observãtia, quod ipse gerebat, ut suprema manus imponeretur examini Operis, cujus titulus est: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ*, quod scriptum asseritur à Venerabili Ancilla Dei, Sorore MARIA A JESU DE AGREDA: cujus nimirum examinis prolatio impedimentum afferebat Judicio super ipsius Ancillæ Dei Beatificatione, & Canonizatione jam dudum feliciter instituto; quum, & juridicæ Inquisitiones de illius Vita, Virtutibus, & Miraculis in genere, auctoritate Ordinaria jam fuissent peractæ, & Comissio Causæ compluribus ab hinc annis à Romano Põtifice signata, sententia super non cultu jam approbata, & novus etiam Apostolica auctoritate Processus confectus fuisset, in quo examinati fuerant Testes, senio, aut

vale-

valetudine affecti, de quibus timeri poterat, ne ex hac vita migraret; antequam integer Processus super ipsius Ancillæ Dei Virtutibus, & Miraculis in specie, cadem auctoritate Apostolica compleretur.

Acceptis hujusmodi precibus, statim, pro hujus generis negotiorum cognitione à Nobis acquisita, dum in ipsis assiduè tractandis totos quadraginta septem annos versati sumus, memoriæ Nobis occurrit Decretum de præfato Libro à Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die xxvi. Junii anni M.DCLXXXI. editum, novumque ejusdem Libri examen à venerabilis memoriæ Prædecessore nostro Innocentio Papa XI. cujus temporibus Decretum illud prodiit, demandatum Congregationi Particulari S.R.E. Cardinalium ad hunc effectum ab Ipso deputatorum, quibus à felicis recordationis Prædecessoribus pariter nostris Innocentio Papa XII. & Clemente item XII. alii subrogati fuerunt, qui ejusmodi examen explerent; tùm etiam novissimum ipsius Clementis Decessoris Decretum, quo prædicti Operis censuram iterum remisit eidem Sanctæ Inquisitionis Generali Congregationi; absque eo quod, vel ab ulla ex Congregationibus particularibus, ut suprà, deputatis, vel à præfata Generali Congregatione, post Decretum anno M.DC.LXXXI. editum, examen hujusmodi nedum absolutum, sed nec inceptum unquam extiterit; nec enim formalis examinis, multoque minus captæ resolutionis nomē meretur quidquid gestum est in Particulari Congregatione habita die ii. Ianuarii M.DCC.XXXIV. Qua de re statim cogitavimus hujusmodi judicium à Congregatione S. Officii avocare, & peculiari Congregationi Sacrorum Rituum ex aliquibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac nonnullis Sacræ Theologiæ Professoribus à Nobis deputandis conflatæ, & coram Nobismetipsis habendæ, novo consilio committere. Hujus autem avocationis, novæque commissionis decernendæ Causa in eo à Nobis statuta fuit, quod animadvertimus, præfati Operis examen, tàm illud nempè, quod anno M.DC.LXXXI peractum fuerat, quàm illud, quod aut in Congregationibus particularibus à prælaudatis Prædecessoribus deputatis, aut in ipsa Generali Congregatione S.Officii, juxta novissimum Clementis Decessoris Decretum, fieri debebat; ad hoc dumtaxat institutum fuisse, ut videretur, an ipsum Opus licitè, & utilitèr à Fidelibus legi, retineri, ac Typis impressum præ manibus haberi posset; at verò instantiæ à præfato Cardinali de Aquaviva nominibus, quibus diximus, nobis exibitæ, eo potissimum tendebant, ut examen Operis fieret ejusmodi, quale ad progressum Causæ Beatificationis; & Canonizationis Ancillæ Dei necessarium esse diguoscitur; quo in casu examen ipsum

priva-

privativè spectat ad Congregationem Sacrorum Rituum, ut colligitur ex Decretis sanctæ memoriæ Urbani Papæ XIII. quæ habent: *Non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales Libri diligenter in Sacra Congregatione* (loquitur de Congregatione Sacrorum Rituum) *examineutur.* Hinc est, quod licèt Venerabilis Servus Dei Robertus Cardinalis Bellarminus præclaros suos Controversiarum libros, non sine previis approbationibus, & permissionibus vivens in lucem emiserit; iidemque libri, post Typographicas editiones, in Congregatione Indicis novo examini subjecti fuerint; cum tamen actum fuerint de promovenda Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem Servi Dei, necesse omninò fuit postulatoribus eosdem Libros, unà cum aliis illius Scriptis, iterùm exhibere in præfata Congregatione Sacrorum Rituum examinandos; ut ipsi adnotavimus in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. Cap. 26. num. 2.* ad quod Opus ideò Nos referimus; propterea quod in eo concinnãdo, præcipuam diuturni, gravisque laboris operam impendimus in exponenda praxi, quæ ab ipsa Sacrorum Rituum Congregatione in Causis Beatificationis Servorum Dei, & Beatorum Canonizationis providè constituta, inconcussè observatur.

Hæc sanè Congregatio (quod te latere non arbitramur) prætermissis aliis divisionibus, quæ ad rem præsentem non pertinent, distinguitur in Generalem, & Ordinariam. Et Generali quidem intervenit Summus Pontifex, unà cum Cardinalibus, quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus; atq. in ea agitur de Servorum Dei Virtutibus, Martyrio, aut Miraculis recognoscendis, & approbandis. Ordinariam verò constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei; atque in hac, præter cetera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum à Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur, quæ revisio sequenti methodo peragitur. Cardinalis Causæ Relator, seu Ponens, ut vocant, unum, aut plures, pro suo arbitrio, Theologos deputat hujusmodi Operum Revisores, qui censuram suam scripto exaratã ad ipsum deferunt; ipse verò illam præfatæ Congregrtioni Ordinariæ repræsentat. At ubi gravioris momenti difficultates vertantur, ac potissimum ubi Revisorum judicia inter se non conveniant, mos est, ut hujusmodi Revisorum censuræ singulis Cardinalibus expendendæ transmittantur, aliquandò etiam in breviarium accuratè redactæ, Postulatoribus Causæ communicentur, ut ipsi difficultates excitatas cognoscant, iisque per opportunas responsiones satisfacere curent. Ac demùm omnibus in Congregatione perpensis, quæcum-

quæ capta fuerit resolutio, per ipsius Congregationis Secretarium refertur Summo Pontifici, ad quem pertinet, eam judicio suo comprobare; ut latiùs videri potest in præcitato nostro Opere *lib. 2. cap. 27. num. 9. & 10.*

Ad tramites hujus methodi, & consuetudinis, revisio Operis de Mystica Civitate Dei præfatæ Congregationi Sacrorum Rituum Ordinariæ committi debuisset. Nos autem, ut majori Judicii celeritati consuleremus, ex eadem Rituum Congregatione, quatuor dumtaxat S. R. E. Cardinales selegimus, duos nimirum in canonica facultate apprimè versatos, scilicet Venerabilem Fratrem nostrum Antonium Xaverium Episcopum Prænestinum *Gentili*, ac Dilectum Filium nostrum Albertum Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyterum, *Cavalchini*, duosque alios Sacræ Theologiæ Magistros, dilectos paritèr Filios nostros Presbyteros, Fortunatum Tituli Sancti Mathei in Merulana, *Tamburini*, & Joachinum Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, *Besozzi* respectivè nuncupatos; quibus, ut ea impleremus, quæ fieri potuissent à Cardinali Ponente hujus Causæ, si ea in ordinaria Sacrorum Rituum Cõgregatione proponeretur, adjunximus Dilectos Filios Antonium Galli Abbatem Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris, Joannem Franciscum Baldini Clericũ Regularem Congregationis Somaschæ, Thomam Sergium Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, & Cœlestinum Orlandi Abbatem Monachorum Congregationis Cœlestinæ, qui ipsius Operis discussioni, & examini incumberent, hujus autem Congregationis Particularis Secretarium deputavimus Dilectũ Filium Magistrum Ludovicum de Valentibus Promotorem Fidei, cui mandavimus etiam, ut difficultates omnes in præfato Opere animadversas Postulatoribus in scriptis ederet, ut hi suas responsiones ad singula comparare, atque exhibere possent, quæ omnia à prædictis respectivè peracta, & juxta mentem nostram expleta fuerunt. Ipsi prætereà nostram universo judicio diligentiam, atque operam præstare, quantumvis innumeris aliis, gravissimisque negotiis oppressi, non detrectavimus, jubentes, omnia Nobis legenda, ac perpendenda afferri, nec nisi coram Nobismetipsis Congregationem deputatam cogi debere, quod factum fuit. Nomina verò Theologorum ad præfatum examẽ deputatorum palàm edicere non recusavimus, licèt ignoraremus; apud Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum in more esse, ut similibus in casibus eorum nomina silentio tegat; quo eos ab omni molestia, aut offensionum respectu præstet immunes: ut etiam videre est in citato Operis nostri *lib. 2. cap. 27. num.* 10. eidem autem Congregationi mandavimus, ut ipsum Opus

juxta

juxta normam ab Urbano VIII. in Decretis traditam, diligenter, accurateque perpenderet; ut habet Decretum à Nobis editum die 3. Augusti anni M.DCC.XLV.

Ex eo die ad diem quintum mensis Decembris proximè elapsi, quo præfata Congregato Particularis coram Nobis habita fuit, licèt biennium, & ultrà effluxerit, non tamen dici potest inutiliter ductũ esse tempus; dum, hoc mensium decursu, prædictus Fidei Promotor varias objectiones adversus Librum Mysticæ Civitatis Dei multimodè excitatas, & hùc illùc dispersas, diligentèr collegit; Postulatores autem non omiserunt suas Responsiones ad singula Capita fusè, doctèque opponere; qui verò consilium suum Nobis præbere debebant, omnia perlegere, & ponderare non prætermisserunt; ac demùm Nos ipsi præteritas autumnales ferias in eo impendimus, ut momenta Causæ coram Nobis discutiendæ plenissimè cognita animo comprehenderemus.

Ut antem ad ea jam veniamus, quæ in Congregatione animadversa, & ponderata fuerunt, quæque tibi, Dilecte Fili, libenter aperire volumus, ut Ancillæ Dei Causa ad suum debitum finem recta via dirigatur; illud ante oculos habere opus est, quod superiùs etiã innuimus, nimirum examen Operis, quod nunc instituitur, diversum omninò esse ab eo, quod in Congregatione Sancti Officii factum fuisset. In ista enim, Opus ipsum, prout est in se, præcipuam Judicũ curam occupasset, qui nequaquam ad se pertinere arbitrarentur, investigare, an verè conscriptum fuisset ab eo Auctore, cujus nomẽ in Titulo præfert: quod adeò verum est, ut in eo Tribunali frequẽter examini subjiciantur Libri, & Opera, quorum Auctores penitùs ignorantur. In Judicio autem, quod fit ex more Congregationis Sacrorum Rituum, primum examinis subjectum est, ut constituatur quisnam propositi Operis Scriptor extiterit. Quod si evidenter non constet ad eum pertinere, cujus Beatificationis, & Canonizationis Causa agitur; revisio Operis prætermittitur, atque in ipsa Causa, prout res ferunt, ad ulteriora proceditur; nec ullum examen libri instituitur, nisi manifestè constiterit, illus Auctorem esse ipsum Dei Servum, cujus nomine inscriptum perhibetur. En verba Decretorum Urbani VIII. *Præterea illud etiam diligentissimè indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione instatur, scripserit aliquos Libros, Tractatus, Opuscula, Meditationes, vel quid simile. Nam si scripsisse constiterit, non priùs est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur, utrùm contineant errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam.* Ubi Prædecessor noster non dixit: Si

 scripsisse

scripsisse probabile, vel verisimile sit : sed ait : *Si scripsisse constiterit*. Quibus verbis non probabilitas, sed certitudo requiritur; quemadmodum, attenta etiam inconcusa praxi præfatæ Congregationis, alibi à Nobis assertum fuit, *de Canonizat. Sanctor. lib. 2. cap. 34. num. 4.*

Neque ad evitandum hujusmodi probationis rigorem satis est dicere, quod Opus illud, de quo agitur, iteratò impressum fuit, constanterque vulgatum sub nomine Sororis MARIÆ A JESU; hoc enim aliquam vim haberet, ubi Opus ipsum, Ancilla Dei vivente, in lucem prodiisset, atque ubi constaret ipsam non ignorasse, hujusmodi librum suo nomine circum ferri, neque eam contra reclamasse, aut partum abnegasse, nen alium quempiam extitisse, qui eam crimine plagii accurasset; ex his enim omnibus simul junctis validū exurgeret argumentum pro eodem Opere Ancillæ Dei certius tribuendo. At Opus, de quo agitur, post ipsius Ven. Sororis mortem Typis excusum fuit: queadmodum verò, si in aliquo Tabulario inventum fuisset in Codice, manu exaratum, ipsi Anillæ Dei tutò adjudicari non posset, nisi per legitimas probationes doceretur, illius esse stylum, atque scriptionem; ita, dum post ejus mortem à Typographis descriptum in manibus hominum invenitur, ut ei tutò adjudicetur, ejus nomen in fronte gerit, similes omninò probationes requiruntur, easque perfici oportet super ipsius Operis Authographo, quod proindè exhibere necesse est, ut inhærendo semper receptæ praxi observavimus *citato nostro lib. 2. cap. 26. num. 6.*

Minusque sufficit ad requisitum probationis rigorem declinādum, subjungere, quod omitti possit adeò exquisita discussio, dum Postulatores ipsi admittunt, & asserunt Opus illud à Ven. MARIA DE AGREDA conscriptum fuisse. Relata enim verba : *Si scripsisse constiterit*, non in gratiam Postulatorum, sed in favorem veritatis, in Decreto Urbani VIII. posita sunt. Quapropter, si licet Postulatoribus (id quod non semel evenit) substinere, librum alicui Servo Dei forsan tributum, certis deficientibus argumentis ad Ipsum reverà non pertinere; nullo pacto negari potest, jus esse Judici exquirere, an per legitimas probationes, ut par est, manifestè constet, Librū alicujus Servi Dei nomine inscriptum, ab eo re ipsa cōpositum fuisse.

Hujus rei exemplum clarissimum datum est in Causa S. Jacobi de Marchia Ordinis vestri. Postquam enim difficultas promota adversus illius doctrinam de Sanguine Christi, prolatis duobus Brevibus, Prædecessoris nostri Pii Papæ II. sublata fuerat, altera excitata fuit adversus doctrinam pariter ab ipso traditam in quodam Dialogo *adversus Fratricelos*, qui asservabatur in Archivo Fratrum Minorum de Observantia apud Sanctum Isidorum de Urbe, quemque

Uvadingus à Beato Jacobo conscriptum; ac proprio ipsius chirographo exaratum asserebat. Postulatores verò, de Dialogi Auctore, deque Scriptore Codicis minimè dubitantes, omnem operam ponebat in propugnanda Doctrina in eodem asserta. Verum, quum sanctæ memoriæ Prædecessor noster Clemens Papa XI. Codicem ipsum ex Archivo extrahi jussisset, duosque claros Viros antiquorum characterum peritos, Alexandrum Zacagnum, & Justum Fontaninum deputasset, qui dijudicarent, an verè Beati Jacobi Scripturam contineret; quumque horum Judicia minimè inter se convenientia fuissent: idem Prædecessor Nobis tunc in minoribus constitutis, & Promotoris Fidei munus gerentibus, mandavit, ut Sententiam nostram de tota re in scriptis exponeremus. Nostra autem Suntentia fuit, in ejusmodi Judiciorum varietate, ac probationum incertitudine, responderi posse de Auctore Dialogi *non constare*, atque ita ad ulteriora in Causa procedi: cui quidem consilio quum Pontifex benignè annuisset, liberum cursum ipsa Causa deindè habuit ac postea sub recolendę memoriæ Benedicto Papa XIII. Benefactore nostro, felicem exitum sortita est; quemadmodum in sæpè citato Opere nostro *lib, cap.* 34. *num.* 7. relatum habetur.

Regulis hisce constitutis, ut ad rem nostram propiùs accedamus, ex actis apparet, quod usque ab anno M.DC.LXVIII. Tirasonensis Episcopus tunc existens, Vir doctus, & Venerabilis MARIÆ nomini, ac memoriæ devotus, sua Ordinaria utens auctoritate, non modo Processum confecit super fama ipsius Virtutum, atque Miraculorum, sed etiam quum ei relatum esset, in Cœnobio Monialium de Agreda existere Authographum Operis de Mystica Civitate Dei, mandavit ipsum sibi exhiberi. Quod quum factum esset, is quidem, inspecto Codice, dixit illius Scripturam, exceptis Capitulorum Titulis, esse à Venerabili Sorore MARIA A JESU; addiditque se ideò hoc asserere, propterea quod illius characteris forma sibi cognita esset, ex inspectione plurium Epistolarum ab illa scriptarum, ejusque nomine obsignatarum. Procurator autem Causæ, ut Episcopi dicto ampliorem fidem adstrueret, tres alios Testes produxit, inter quos erat ipsius Causæ Notarius, qui tamen non singillatim examinati fuerunt, sed pręstito juramento de veritate dicenda, uno ore dixerunt, ipsum Codicem, exceptis Titulis, ut suprà Ancillæ Dei charactere jam pridèm sibi cognito, conscriptum esse. Qua de re idem Episcopus jussit hujusmodi Operis exemplum in forma authētica describi, eoque in Processu inserto, prædictum assertum Authographū Monialibus reddi, quæ omnia, uti ipse jusserat, impleta fuerūt.

Porrò si Sanctus Athanasius in humanis ageret, hujusmodi probatio-

bationis genere forsitàn contentus non esset. Quum enim ipse seditiosas quasdam Epistolas scripsisse diceretur, eoque nomine apud Imperatores per calumniam accusaretur; nil minus requirebat, quã, ut Epistolæ ipsę in medium proferrentur, tum aliæ invenirentur ipsius manu conscriptæ, quæ cum illis conferri possent: *Primum quidem litteras saltèm nostras similes proferant.* Et tamen id satis adhuc non fore asserebat, dicens: *At nequaquam tutum illud fuerit, &c. Vestras quippè Imperatorum manus sæpè sunt imitati, undè similitudo illa scriptis auctoritatem minimè dederit.* Ut legitur *tomo primo ipsius Operum Parisiis impress. anno M.DC.LXXXXVIII. pagin.* 298. Quæ Athanasii verba ideò attulimus, ut ostenderemus huic Sancto Doctori minimè persuasum fuisse, ex caracteris similitudine tutò evinci posse, Librum aliquem reverę conscriptum esse ab eo, cui tribuitur à Testibus asserentibus, ideò sibi cognitam esse illius characteris formam, quod aliàs viderint chartas ab eodem scriptas, suoque nomine obsignatas. Ac de insufficiencia probationis Scripturæ *per Testes habentes notam manum*, innumeras Jurisperitorum auctoritates hic colligere in promptu esset. Receptum est enim, ubi de fide Chirographi disputatur, ut requiratur depositio Testium; qui adfuerint, & viderint, dum ab eo scriberetur, cujus manu scriptum asseritur. Attamẽ cum id, quod ad comprobandam brevioris Scriptnræ veritatem omninò requiritur, non ęquè exigi posśit, ubi, ut in casu nostro, de Opere agitur satis prolixo, & amplo, hoc saltèm requirendum visum est, quod nimiæ severitatis à nemine incusandum putamus, ut nempè allata probatio legitimis adminiculis fulciatur. Si qui enim ex Jurisperitis admittunt probationem characteris, quæ *fit per Testes habẽtes notam manum*; hi omnes docent, hujusmodi Testibus non aliter deferendum esse, quam si sufficienter adminiculati dignoscantur; quod ipsi jam observavimus *de Canonizat. Sanctar. lib. 2. cap.* 52. *num.* 6. Si verò hujusmodi adminicula requiruntur, ut fides habeatur Testibus *singillatim* examinatis, quique cum omnibus debitis solemnitatibus alter seorsim ab altero testimonium dixerunt; nonnè majori Jure requirenda erũt in præsenti casu, in quo adducuntur dumtaxat Testes *turmatim* recepti (quorum modica in Jure habetur auctoritas, ut videre est in præfato *nostro lib.* 2. *cap.*49. *num.*2.) quique post auditam sui Superioris assertionem, coram ipso testificantes, eidem adstipulari quodammodò debebant. Nec audiendi sunt, qui excipiendo ajunt, Processum, de quo agitur, non Apostolica, sed Ordinaria auctoritata confectum fuisse. Etenim Processus Ordinarii, si non ad normam Literarum Remissorialium, à Congregatione Sacrorum Rituum expeditarum, at saltèm ad Juris communis tramites sunt conficiendi;

non

non autem aliunde, quam à Jure communi desumpta sunt, quæ huc usque adnotavimus.

Quod si à Nobis ulteriùs quæratur, quænam putemus esse adminicula ad imperfectam hujusmodi probationem roborandam necessaria; facilè respondebimus, alia proculdubio existere Scripta, preter Mysticam Civitatem Dei, Sororis Mariæ charactere exarata. Id enim asserit Frater Joseph Ximenius in vita ipsius Ancillæ Dei §. 32. *num.* 129. Præterea fieri non posse, quin alia complura ipsius Chirographa, seù Schedulę inveniantur, quum eadem Agredani monasterii regimen diù obtinuerit. Vera autem illius characteris forma semèl percognita, advocandi sunt Periti, qui comparantes codicem, de quo agitur, cum aliis ipsius scriptis, de identitate characteris juxtà eorum artis regulas, judicium faciant. Tùm verò indubia illa characteris exemplaria, ipsumque controversum opus, unà cum Peritorum judiciis Roman transmitti debent, ubi alii deputabuntur Periti, quæ omnibus rectè perpensis, de hujusmodi characteris identitate, deque transmissis Peritorum judiciis, sententias suas aperiant. Quamvis verò hujusmodi probatio, quę *per comparationem* appellatur inter subsidiarias, sivè semiplenas probationes numeretur (id quod à Nobis demonstratum est *cit. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 5. & 6.) Si tamed hæc cum altera conjungatur, quæ antea facta fuit *per Testes habentes notam manum*; haud parum ponderis apud sapientes Judices habere poterit. Neque putes novam hanc esse methodum, quam tibi inicamus; hæc enim constanter fuit consuetudo Congregationis Sacrorum Rituum, quam etiam nupèr sequuta est in Causa Beati Joannis Cantii; ut in præfato *nostro lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. & *seqq.* adnotavimus. Neque tibi in mentem veniat dubitare de ipsius asserti Authographi, aliorumvè scriptorum amissione. Hæc enim, postquam, ut opportuit, inspecta fuerit, iisdem redduntur, à quibus exhibita fuerunt, ut Nos etiam testati sumus *eodem lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 8. eaque à te ipso restitui poterunt eidem Monasterio de Agreda, in quo quo fertur, Ancillam Dei ea asservari voluisse, vt legitur in ejus Vita *part.* 3. *Mysticæ Civitatis, Augustæ Vindelicorum impress. pag.* 244. *ad num.* 18.

At non hic sistunt inquisitiones, quas perfici opus est, ut ad normam Decretorum Urbani VIII. pronuntiari valeat, *constare*, quod Mystica Civitas Dei à Venerabili Maria à Jesu conscripta fuerit. Novum profectò non est, neque difficile intellectu, quod quis propria manu describat Opus, quod vel ab alio integrè compositum fuerit, vel cujus magna pars aliena constet inventione, ac doctrina. Quòd cum advertissent Causarum Palatii Apostolici Auditores in

Canonizationis Beatæ Theresiæ à Jesu, de ipsius Operibus id potissimum sibi comprobandum sumpserunt; quod nempè *ipsa Beata Theresia sua propria manu, & non aliena industria, seù alicujus alterius humano studio istos libros composuerit*, ut videre est in Relatione ab ipsis confecta sub titulo *de Virtutibus artic. 2. §. primo pag. 269. impressa Viennæ anno Sal. 1628.* Porrò de Mystica Civitate Dei non id affirmatur, neque pro certo contenditur, quòd à Ven. Maria à Jesu composita non fuerit. At negari nequit, quin usque ab initio aliqua de hoc excitata fuerit dubitatio. Etenim ipse Tirasonensis Episcopus, qui ut suprà dictum est, de ejusdem Ancillæ Dei Virtutibus, & Miraculis anno M. DC. LXVIII. Processum Ordinarium construxit; quum precedenti anno M.DC.LXVII. præfatum Opus amplissima sua approbatione commendare voluisset; hoc etiam sibi præstandum censuit, ut eos confutaret, qui hujusmodi scriptionis gloriam Ancillæ Dei abrogabant; ut videri potest *in Sumario præliminari hujus Causæ pag. 39. litt. D.* quod sanè supervacaneum fuisset, nisi jam tunc alicui existissent, qui ea de re dubitassent; quemadmodúm ab aliis etiam ad hæc usque tempora dubitatum fuisse non ignoras.

Hoc igitur dubium è medio tolli opportet, ut tutò pronunciari valeat, Adcillæ Dei Opus esse hoc, de quo agitur. Equidem non negabimus, quin *in Responsionibus Præliminaribus pag. 25. num. 46.* magna argumentorum vis collecta fuerit ad ostendendum non alteri, quam ipsi Ancillæ Dei, nulloque modo potissimum illius Confessario hoc Opus tribuendum esse. At, cum, præter Mysticam Civitatem Dei, tot alia extent Opera, quæ ab eadem proculdubiò confecta perhibentur; quumque ex artis criticæ regulis, validissimum argumentum pro dignoscendis librorum Authoribus in comparatione styli, ejusque similitudine, aut difformitate constituatur; cur adhibitæ non fuerunt opportunæ diligentię ad comprobandam uniformitatem styli Mysticæ Civitatis Dei cum aliis Operibus abeadem Ancilla Dei indubitanter conscriptis? Quod enim citatus Ximenius in suo Prologo Galeato § 12. *num.* 95. de hujusmodi styli uniformitate testatur, minimè sufficiens reputatur, quousque necessaria Operum comparatio, de qua diximus, instituta non fuerit.

Præterea legitur in Historia vitæ ejusdem Sororis Mariæ à Jesu, quod quum ipsa scripsisset Opus Mysticæ Civitatis Dei, Confessarius quidam illius spiritum non planè noscens, ei præcepit, ut Opus illud flammis combureret. Quod quum ab ipsa statim perfectum fuisset, alter deindè Confessarius in rebus Divinis magis expertus, eidem mandavit, ut hujusmodi Opus de novo reduceret; licèt prioris exemplum apud Catholicum Regem Philipum IV. extaret, ipsius

piissimi Regis jussu descriptum, antequam illius authographum combureretur. Evenisse autem non sine miraculo, ut idem Opus brevi tempore ab Ancilla Dei iterùm conscriberetur, absque ulla discrepantia ab eo, quod antea combustum fuerat; nisi quod parva quædam additamenta, ac nonnullarum rerum elucidationes accesserunt novo Codici; quem asserunt eumdem esse, qui in Agredano Monasterio pro Authographo asservatur, & ex quo Episcopus Tirasonensis describi jussit exemplum in suo Processu, ut suprà diximus, insertum. Ita narrat prædictus Joseph Ximenius *in Vita Ven. Sororis Mariæ à Jesu §. 32. num. 125. & seqq.* qui etiam *in Prologo Galeato §. 12. num. 94.* de uniformitate Operis jam cremati cum eo, quod nũc visitur, ita testatur: *Dubium tamen non est, idem prorsùs fuisse Opus, quod posteà iteratò scribere aggressa est, hodieque in lucem prodit ad litteram, absque differentia alia, præter additiones quasdam, & majorem explicationem punctorum aliquorum, prout comprobatur ex Transumpto primi illius Authographi, quod Philippus IV. secum habebat, idcòque ab incendio superfuit.* Extabat igitur, quo tempore Ximenius scribebat exemplum Operis Philippo Regi traditum ante Authographi combustionem; nec enim alitèr comparari potuisset cum Opere iterùm exarato. Quumque ipse Rex, ejusque Successores Ancillam Dei tanta veneratione prosequuti fuerint, credibile non est, hujusmodi exemplum, sivè in Regia Bibliotheca S. Laurentii (in qua condita fuerunt Opera S. Theresiæ, ut refertur in citata Relatione illius Causæ ab Auditoribus Rotæ confecta *pag. 270.*) asservatum non esse. Hoc itaque exemplum; si exquiratur; id quod omninò necesse est, haud difficile, ut putamus, invenietur. Eo autem reperto, si hujusmodi comparatio instituetur, qualem Ximenius se perfecisse asserit, judicium fieri poterit de asserta uniformitate. Ac denique, si additamenta, & explicationes, quas idem Ximenius innuit, examinabuntur, complures obscuritates ex his omnibus tolli poterunt, quæ hanc Causam plus satis involvunt.

At dices, ex ejusmodi operationum serie majorem afferri moram progressui Causæ Beatificationis Ancillæ Dei, cujus expeditio tibi, tuisque Religiosis omnibus in Votis est, & pro qua Protector olim vester bonæ memoriæ Cardinalis de Aquaviva, nominibus etiam Hispaniarum Catholici; & utriusque Siciliæ Regum demissas Nobis preces obtulerat. Verùm animadvertendum hic est, in hujusmodi Causa nil aliud hucusque peractum fuisse, nisi qued, post Processum ab Ordinario constructum, admissa est introductio ipsius Causæ; approbata sententia super non cultu; & peculiaris auctoritate Apostolica processus confectus, ad excipiendas depositiones Tes-

tium, quorum vitæ obitus imminere timebatur, ut suprà narravimus. Antequàm verò deveniatur ad præcipuum proponendum Dubium super Virtutibus, deindèque ad aliud super Miraculis, ex quibus nempè potissimum pendet optata Beatificationis conclusio, opus est, non quidèm ex nova lege, quæ pro hac causa peculiaritèr statuta fuerit, sed ex veteribus,& generalibus legibus Congregationis Sacrorum Rituum, ut omnia, quæ extant,Opera ab Ancilla Dei conscripta, examini subjiciantur, Processus Apostolicus super fama Virtutum, & Miraculorum in genere conficiatur; tum super ejus relevantia pronuncietur; alter deindè Processus Apostolicus in specie super Virtutibus, & Miraculis construatur; ac tàm de Processus Ordinarii, quàm de aliorum Apostolicorum validitate judicetur.

Pendente autem Judicio super libro Mysticæ Civitatis Dei,nil ex præmissis omnibus fieri posset,resistentibus Decretis Vrbani VIII. quorum verba superiùs etiam allata,sic habent: *Nam si scripsisse constiterit, nom priùs est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum,quàm tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur.* Nos tamen, his minimè obstantibus, de Apostolicæ auctoritatis, & liberalitatis plenitudine, atque etiam aliquibus Prædecessorum nostrorum exemplis, quæ in citato Opere nostro *lib.2. cap.27.* retulimus, quamvis non adeò amplis, innixi;ex speciali gratia libenter indulgemus,ut licèt nec de vero hujus libri Auctore, neque de ejus approbatione, quidquam adhùc statutum fuerit, nihilominùs, & ad examen aliorum Operum ejusdem Ancillæ Dei procedi valeat, & consequtivè ad novum Processum Apostolicum judicium super fama ipsius Virtutum, & Miraculorum in genere fieri possit;& alter etiam Processus Apostolicus super ipsius Virtutibus,& Miraculis in specie conficiatur;& tàm Processus Ordinarii, quàm aliorum Apostolicorum validitas expēdatur: animadversiones quoque super Virtutibus in specie à Promotore Fidei exponantur, eisque opportunæ Responsiones, si placet à Postulatoribus comparentur; dummodò tamen ipsum dubium super Vrtutibus in specie in Congregratione Sacrorum Rituum non absolvatur, antequàm Judicium de omnibus Ancillæ Dei Operibus prolatum fuerit. Persuasum autem tibi esse volumus, Nos, hac concessionis amplitudine, ultrà servatos à Prædecessoribus nostris fines longè progressos esse, progter piam affectionem, quam erga Ancillam Dei meritò fovemus; teque etiam intelligere, dum præfatum Dubium de illius Virtutibus in specie, non nisi post ejusdem Operum aprobationem absolvi volumus,magnam à Nobis utilitatem afferri illius Causæ, quæ scilicèt ex ipsis Operibus; si approbata fuerint, majorem proculdubiò splendorem accipiet.

quæ

Quæ verò interim fieri permisimus, dum præfati Operis Revisio absolvitur, ea Nos quidem paucis verbis complexi sumus. Verùm, ut eadem ad exitum perducantur, non parum temporis necessarium erit. Cujus temporis decursu, si ea simul perficientur, quæ superiùs facienda indicavimus, ad approbationem Operis de Mystica Civitate Dei attinentia; profectò evidentèr agnosces, non modicum compendium ipsi Beatificationis Causæ obvenisse ex eo, quòd à Nobis, ut suprà, statutum fuit.

Hoc eodem temporis decursu, Nos ipsi omnem diligentiam adhibere non omittemus, ad hoc ut, si aliquandò probatum fuerit, Mysticam Civitatem Dei à Ven. Maria à Jesu verè compositam fuisse, tunc demùm, vita comite, Judicium nostrum proferre valeamus, an liber ipse *contineat errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam*, juxta relatum superiùs Urbani Prædecessoris Decretum. Quamobrem mandavimus etiam singulis Cardinalibus, atque Theologis peculiarem Congregationem à Nobis, ut suprà, deputatam constituentibus, ut unusquisque suam, hac de re sententiam scripto conceptam, suoque sigillo obsignatam in manus nostras remittant; volentes omnia hujusmodi judicii capita in antecessum per Nosmetipsos debita maturitate, unà cum judiciis Academiarum Salmaticensis, complutensis, Lovaniensis, ac Tholosanæ pensare.

Utque nihil Te lateat eorum, quæ ad sternendam hujusmodi judicio viam interim examinare decrevimus, hoc primùm tibi notum esse volumus, magnam Nobis semper opinionem fuisse, atque adeò esse de bonæ memoriæ Cardinali de Aguirre, cujus familiari consuetudine, in juvenili etate constituti, olim usi sumus; quemque non minori apud te existimatione esse arbitramur, neque putamus ab Alumnis vestri Ordinis recusatum iri Judicem in Causæ Mysticæ Civitatis Dei, pro qua is pium suum studium tantopere declaravit. Eo vivente, anno Domini M.DC.XCVI. prodiit censura Facultatis Sorbonicæ in primam Partem hujus Operis, quæ refertur *in Diario Sapientum tom. 24. pag. 51. & pag. 516.* & inserta est per extensum *in tom. 3. Collectionis Judiciorum Parisiis editæ anno 1736. pag. 150. & seqq.* Quæ sanè censura quum præfatō Cardinali magnoperè displicuisset, ab eodem impugnata est peculiari Scripto, qod exhibitum non fuit. Idemque prætereà scripsit Epistolam unam ad Galliarum Regem, & alteram ad Archiepiscopum Parisiensem; in hac verò, quæ data fuit die iv. Augusti anni M.DC.XCIX. fassus est, propositiones in præfato libro à Sorbonica Facultate notatas, prout jacent

in versione Gallica, qua usi sunt Parisienses Theologi, jurè, meritòque damnatas fuisse; verumtamèn hujusmodi versionem parùm fidelem esse contendit. En verba Epistolæ relatæ in vestro Summario Præliminari §. *IV. num.*8. *pag.* 214. *Nel di cui idioma*, de Galica lingua loquitur *così tradotte ancor io concorro in asserire, che sia no state giustamente censurat a da codesta Università.* Itaque Cardinalis de Aguirre censuram Sobornæ approbat, versionem libri non approbat, Censuræ subscribit, relatè ad versionem Galicam, eamdemque censuram ideò rejicit, quòd versionem illam minus fidelem existimat. Hæc autem versio non alia esse potest, quam quæ ex Hispanico idiomate in Galicum facta est à Patre Croisset Ordinis vestri Presbytero, quæque impressa fuit Massiliæ eodem anno, quo prodiit in lucem Censura Sorbonicæ Facultatis. Atque hæc est illa versio, quæ in Sumario Causæ tam magnis elogiis in Cœlum tollitur. Cardinalis de Aguirre Hispanus Croisetum Gallum reprehendit, tamquam in Hispanico idiomate parum versarum. Si quis verò Traductoris Galli partes suscipiens, Cardinalem Hispanum, tamquam Gallicæ linguæ minus peritum reprehenderet, totum Judicium in ancipiti hærere necesse esset. Quare, ut hujusmodi difficultatum involucra tollantur, Nostræ curæ erit aliquem invenire in utroqne idiomate probe, paritèrque versatum, cujus diligentia rei veritatem in claro positam tutò dijudicare possimus.

Novimus prætereà, non Tibi ignotum esse Opus *de Revelationibus, & Visionibus*, ab Eusebio Amort Canonico Regulari Lateranensi editum anno M.DCC.XXXIV. in quo præfata quidem Censura Parisiēsis Facultatis reprobatur, sed aliæ, ac diversæ objectiones fiunt adversus Mysticam Civitatem Dei. Cui novo Censori fusè respondit doctus quidèm Ordinis vestri Professor Frater Didacus Gonzalez Mathęo Hispanus, qui suas responsiones Nobis dicatas superiori anno M.DCC.XLVII. Matriti edidit, Nobisque transmisit. Harum quoque objectionum, & Responsionum examen fieri debet, & à Nobis, Deo adjuvare, fiet, antequam de Mystica Civitate Dei sententiam proferamus, quum nullam in hoc gravissimo Judicio diligentiam supervacaneam fore judicemus.

Hæc erant, quæ tibi innotescere volebamus, nunc ea, quæ in præfata Congregatione Particulari, coram Nobis, deliberata fuerunt in summam colligendo, sequens Decretum de ejusdem Congregationis consilio, atque unanimi sensu, edicimus; nempè: *Ex hactenùs deductis non constare, prout oportet, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quod Opus inscriptum* Mystica Cità di Dio, *sit Opus Ven. Servæ Dei Sororis Mariæ à Jesu de Agreda; ex gratia tamèn speciali Postulatoribus indulgeri; ut in*

ut in Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem, ad ulteriora procedatur, ita tamen, ut dubium super Virtutibus non absolvatur, nisi prævio iterato novo definitivo Decreto, aut à Nobis, aut à nostris Successoribus, præmissis uti suprà respectivè præmittendis, edendo; in quo, vel statuatur Opus prædictum non esse Servæ Dei, vel constito esse Opus ejusdem, definiatur, nil, vel in eo, vel in aliis Operibus ejusdem Servæ Dei, reperiri, quòd sit contra Fidem, bonos mores, vel quod sapiat doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienum, juxtà præscripta in Decretis Urbani VIII. Tibique, dilecte Fili, universoque Ordini tibi commisso, Benevolentiæ nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima sexta Jauuarii millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus nostri anno octavo.

BREVES ADNOTATIONES

super Decreto, quod nuperrimè editum est in Causa Vener. Sor. MARIÆ A JESU DE AGREDA.

Ut beneficia omnia, & quidèm gravissima, quæ ex novissimo mox dicto Decreto proficiscuntur, satis, & penitùs percipiantur, tria possunt, ac debent considerari:

I. Cursus Causæ.
II. Doctrina.
III. Auctor.

Quod spectat ad cursum Causæ: In vim Decretorum Urbani VIII. & Praxis Sacræ Rituum Congregationis in omnibus omninò Beatificationis, & Canonizationis Causis inviolabiliter servatæ, nec Apostolici Processus confici, nec dubium super Virtutibus proponi potest, nisi priùs omnia illius Servi, aut Servæ Dei, de quibus agitur, scripta discussa sint, & approbata. In præsenti Causa è contrà, etiam si examen Mysticæ Civitatis nondùm absolutum, & aliorum Ven. Mariæ de Agreda scriptorum non adhùc inceptum sit: tamen Processus Apostolici, tam in genere super fama sanctitatis, quàm in specie super Virtutibus & Miraculis confici possunt, necnon discuti eorum validitas, ac relevantia, extrahi ex eis præviè opportunæ animadversiones, iisque responderi, ac dubium deniquè super Virtutibus, tàm in Antipræparatoria, quàm in Præparatoria, ut dicitur, Congregatione proponi.

Quod respicit *doctrinam*. 1. Ne unum quidèm verbulum contra eam, tàm in Litteris, quàm in Decreto profertur. 2. Laudantur Responsiones, quas nos dedimus novissimis acerrimis animadver-

sioni-

sionibus, quas Reverendissimus Fidei Promotor, aliique Censores contra doctrinam Mysticæ Civitatis exararunt. 3. Quia doctrina hæc teterrimis observationibus à P. Amort fuit imperita, & à P. Didaco Gonzalez Matheo argumentis solidissimis vindicata, hic, & non ille *Docti* titulo à Summo Pontifice pecoratur. 4. Licèt approbatio doctrinæ non fuerit expressè definita, plusquam tacitæ tamen decreta est: prout satissuperque declarant verba illa *Nisi prævie iterato NOVO definitivo Decreto*. 5. Tandèm quia à quampluribus, qui huic doctrinæ infensissimi sunt, ejusdem doctrinæ examen, & judicium ad Sacræ Inquisitionis Tribunal spectare contenditur, ne unquam ejusmodi infensissimi homines voti sui compotes fiant, & Causæ gravamen hoc inferatur, judicium, & examen à solo Summo Pontifice fieri debere decernitur verbis illis: *A Nobis, aut à nostris Successoribus edendo.*

Quod tandem pertinet ad Auctorem, si absolutè decretum fuisset: *Non constare Opus Mysticæ Civitatis esse Servæ Dei Mariæ à* Jesu *de Agreda*; gravissimum fateor huic Operi damnum illatum esset; tum id enim Oraculo Prntificis nimis fuisset cõfirmatum dubium illud, quod tam malis artibus à Demone potiùs, quàm ab homine in universa Europa disseminatum est. At quando dicitur à Sede Apostolica *non constare* ex eo quod probationes omnes, quæ deduci facilè possunt, non adhùc deductæ sint: *Ex hactenùs deductis*; declarando ulteriùs, quod probationes deductæ ideò adhùc non sunt prout oportet, inconcussæ, quia sumus in casu examinis, quod fit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis: prout oportet, *in casu, & ad effectum, de quo agitur*: in quo casu nullæ, quæ fieri possunt, diligentiæ à Sede Apostolica omittiti debent ad obstruendum os loquentium iniqua: nemo est, qui non videat, tantum abesse, ut ejusmodi Decretum noceat Operi, ut illi perquam maximè prosit. Deductis enim probationibus, quæ à Sede Apostolica præscribuntur, statim ex Decreto ipsius Apostolicæ Sedis constabit Opus hoc esse Servæ Dei, & statim per consequens profligabitur dubium illud, de quo suprà diximus, adeò esse Operi perniciosum. Quod quidem, ut patet, est beneficiorum omnium maximum; doctrina enim tam pura est, ac tam solida, ut ipsa sese, nemine defendente, tueatur; at non ita Auctor, contra quem exortum dubium solo Apostolicæ Sedis Decreto potest evanescere. Profligato verò ejusmodi dubio, & Virtutibus Servæ Dei in gradu heroyco de more demonstratis, quis est, qui non videat tantum Operi splendorem accedere, ut ex ipso potuerit Pontificio Decreto Divinum illud esse, & non humanum inferri? Fatentur omnes Opus hoc neque esse, à Demone, neque à Serva Dei ex puris viribus naturæ: ergo vel à Deo, vel ab homine. Constito esse Servæ Dei, constat non esse ab homine: ergo à Deo.